



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

I. 3. Nemo Clericus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

gia secreta recurrere, vt me monuit frater Paulus Constabilis sacri palatii Magister, qui fuit deinde totius ordinis Fratrum predicatorum Magister Generalis, ut dicamus, retenta communi lectione, verbū illud, summo rerum parēte, hoc loco stare seu accipi posse essentialiter & personaliter iuxta vera dogmata Theologorum, cum enim hic (vt verba ipsa in dicant) non sit sermo de aeterna Spiritus sancti processione a Patre & a filio, sed de communicatione gratiae vel donorum ipsius, secundum quam ipse seipsum dat, vt ait Magister sententiarum lib. 1. dist. 30. & a Patre simul & a Filio datur, apte per summū rerum parentem, & totam sanctissimam Trinitatē intelligere possumus, a qua gloriam in futuro speramus, & gratiā accipimus in praesenti, possumus quoque per summum parentem, Deum Patrem intelligere, a quo Spiritus sanctus datur et mittitur, nec propterea uideri debet Filius exclusus, quoniam nominatus non est; nam vt recte ait sanctus Thomas pa. 1. q. 36. art. 2. ad primum argumentum, regulariter in sacra scriptura, aut ubi de diuini personis agitur, id quod de Patre dicitur, de Filio et intelligere oportet, et ita si inquit sanctus Thomas, dictio exclusiva addatur, nisi, solum in illis in quibus Pater & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur, cum enim Dominus Matth. c. 11. dicit: Nemo nouit Filium nisi Pater, non excluditur, quin Filius seipsum eognoscat, ergo cum hic aut alibi dicitur, quod Spiritus sanctus a summo rerum parente spiratur & accipitur, etiam si adderetur, a solo rerum parente seu Patre, non ob id Filius excluderetur: quia quantum ad hoc quod est dare Spiritum sanctum, non opponitur, Pater, & Filius, sed solum quantum ad hoc quod hic est pater, & ille Filius. His penitus consentit sanctus Hieronymus in confessione fidei, quam asserit Eymericus paulo post, hac par. 1. dicens: Nec est proorsus aliquis in Trinitate gradus, nihil quod inferius superiusue dici possit: sed tota deitas sui perfectione equalis est, vt exceptis uocabulis, quae proprietatem personarum indicant, quidquid de vna persona dicitur, de tribus dignissime possit intelligi. Haec tenet Hieronymus.

1.4. IMPERATOR MARTIANUS A.

Palladio Praefecto Prae.

NEMO clericus uel militaris, uel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publice turbis coadunatis & audientibus tractare conentur in posterū; ex hoc tumultus & perfidia occasionem requirrens. Nam & iniuriam facit iudicio reuerendissimae synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita, reuoluere & publice disputare contenderit, cum ea, quae nunc de Christiana fide a sacerdotibus, qui Chalcedone conuenerunt, per nostra praecipua statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & in scriptura sanctorum Patrum trecentorum decem & octo in Nicæa, &

centum quinquaginta in hac regia vrbe definita esse noscantur. Nam in contemptores huius legis poena non deerit, quia non solum contra fidem vere expositam ueniunt, sed etiam Iudaicis & Paganis ex huiusmodi certamine profanant ueneranda mysteria. Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, a cōsortio clericorum remouebitur: si vero militia praeditus sit, in iugulo spoliabitur. ceteri autem huius criminis rei, si quidem liberi sint, de hac sacratissima urbe expellentur, pro vigore iudicario etiam competentibus supplicij subiuigandi: si uero ferui, securissimis animaduersionibus plecentur.

Dat. VIII. Id. Febr. Constantinop. Patricio Consu.

COMMENT. VI.

NEMO clericus.] Hoc est edictū Martiani Imperatoris in cōfirmatione Cōc. Chalcedonēsis, quo cauet, vt nemini liceat de fide habere coram populo disputationes, aut semel iam definita in dubium reuocare. Extat hoc edictum in Concilio Chalcedonēsi actione 3. cum praefatione & epilogo, quae hic abscissa sunt, ubi autem ita habetur: Edictum siue leges sanctae Memoriae Valentiniani & Martiani Imperatorum, quas quidem leges beatissimus Papa Leo in suis confirmauit epistolis, quibus interdicerentur prohiberentque disputationes de fide coram uulgo, & confirmantur Chalcedonen. Concilij decreta, atque statuta.

Ceterum obseruandum est, nō absolute prohiberi disputationem de fide catholica, sed cum ex ea disputatione quaritur occasio tumultus & perfidia, & iam definita in dubium reuocantur.

Hanc legem eo consilio huic operi inseruit Eymericus, vt doceremur has ueritates, uidelicet nec publice occasione tumultus excitandi de fide differendum esse; nec semel per Ecclesiam rite definita & stabilita, in dubium esse reuocanda, quae nos suis locis interpretabimur.

[Nemo clericus.] Sed de clericis dubium uidebatur, hoc est, de personis religiosi, presbyteris seu sacerdotibus, quibus solis predicare & de fide tractare iura concedunt, cap. Ad iudicimus. 16. qu. est. 1. cap. Diaconus. 93. distinc. ubi Turrecremata, idem Turrecremata iur. placuit 16. q. 1. vt multis docuimus. par. 2. super c. cum ex iniuncto, de haeret. et propterea non debuerant prohiberi, quominus de fide disceptarent: sed non inhibetur eis, ut dixi, simpliciter & absolute, sed cum ex hoc perfidia occasionem quarunt.

[De fide Christiana publice turbis coadunatis, & audientibus tractare conentur in posterum ex hoc tumultus & perfidia occasionem requirrens.] Hinc colligimus manifesto non prohiberi simpliciter omnem de fide disputationem, sed eam solam, quae suscipitur causa seminandorum errorum: alias enim cum haereticis disputare, ut gloria Dei manifesta fiat, & ueritas Catholica defendatur, licitum est; immo & quandoque necessariū id.

id quod respiciens Paulus diuinitus ad Titum scribens cap. 1. ait, oportere ut episcopus doctus sit, ut exhortari sciat in sacra doctrina, & eos qui contra dicunt arguere, de quo articulo agit plenissime Eymericus paulo post, q. 10. & nos ibidem late in commentarijs eiusdem questionis. interim videndus Conradus Brunus lib. 5. de heret. cap. 4. & lib. 6. cap. 8.

Cur semel definita legem in dubium reuocari non debeat.

c Nam et iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita reuoluere & publice disputare cōtenderit.]

Ratio cur iniuria fiat, manifesta est: quis enim concedat plus esse tribuendum singulorum opinionibus de fide arbitratus suo disputantium, quam definitis in synodis legitime congregatis, in quibus nutu Spiritus sancti Patrum corda reguntur: Tam multis rationibus optime statutum est, ne semel definita in dubium reuocentur: nam si quæ semel sunt salubriter constituta & decreta, in dubium reuertentur, nullū profecto stabile Ecclesiæ iudicium aut statutum contra quoslibet errores permaneret. Rursus eiusdem semper furoribus omnis statuta semel veritas, & integra Ecclesiæ definitio turbaretur. ita Gelasius Papa I. ad episcopos Dardaniæ epistola quæ incipiente: Valde miratis sumus. dicens: Quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes, ne cessarie præcauerunt, ut quod cōtra vnāquæque hæresim coacta semel synodus pro fide, cōiōne & veritate catholica atq; Apostolica promulgasset, non sinerent post hæc nouis retractationibus mutari, ne paruis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerat statuta, pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniam ac pariter errore damnato, sufficere iudicari, ut quisquis aliquando huius erroris cōicator existeret, principali sententiā dānationis eius esset obstrictus, quō manifeste quilibet vel professione sua, vel cōmuniōne posset agnosci. Hæc ibi quem locum, quia valde erat instigatus huic loco omnino cōgruens, nō duximus omittere: qui refertur a Gratiano. 24. q. 1. c. maiores.

Synodus Chalcedonensis quando celebrata.

d Qui Chalcedone conuenerunt. [Chalcedonensem synodum intelligit longe celeberrimam, habitā Chalcedone (ea est ciuitas Phrygiæ in Ponti Euxini ora) interuentu sexcentorum triginta episcoporum contra oēs hereses, maxime uero contra Eutychem & Dioscorum, qui unū dominū nostrū Iesum Christum, ex diuinitate atq; humanitate constantem, et in his duabus naturis adorandum, ad vnā audacter & stulte naturam redgebant, & cōfundebāt. Fuit autem celebrata a. 488. hoc est anno Domini 450. seu ut alij scribunt 452. Valeriano VII. & Auieno uiris clarissimis consulibus, de hac celebre extat Gregorij testimonium in c. sicut. 15. dist. 1.]

Pœna dispençati de fide ob malum n. nem.

e Igitur si clericus erit.] Nunc pœnas statuit cōtra eos, qui de fide publice disputant in malum finē, idque seruata personarū qualitate: hodie tamen non habet locum pœna huius legis, neque hi personarum gradus, ut hic præscribitur, obseruari debent: nam qui publice nūc falsa dogmata prædicaret, populoq; nouas suggereret opiniones, nec uera fidei documēta reciperet, sed perfidie, hoc est, hæresis disseminanda (ut dicitur) quæreret occasionem, ab Inquisitoribus hereticæ prauitatis iudicaretur: & tales hære-

A siarche seu dogmatistæ videntur sine ulla penitus misericordia curiæ seculari tradendi, vltimo supplicio feriendi, ut docet Repertorium Inquisitorum, ver. docere. & ver. hæresiarcha. Albertinus tract. de agnos. assertio. quest. 30. nu. 60. Simancas in catho. instit. tit. 47. num. 60. idem in Enchyridio vrolatæ religio. tit. 59. Ioannes Roias trac. de heret. par. 2. assertio. 42. & alij quidam. Quid tamen de hoc sentiam, dixi breuiter par. 2. in commentario suo per concilio Tarraconen. S. Rursus illud. Et plenius eadem parte super q. 39.

EDICTVM IVSTINIANI

DE FIDE

B Victor Iustinianus, pius, felix, inclutus, triumphator semper Augustus. Joanni sanctissimo Archiepiscopo almae urbis Romæ & Patriarchæ.



EDDENTE Sæ honorem Apostolicæ Sedis, & infra. Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, & pauci quidam infideles, & alieni sanctæ Dei catholice atque Apostolicæ Ecclesiæ, contradicere Iudaice atque apostatice ausi sunt aduersus ea, quæ ab omnibus sacerdotibus secundum uestram doctrinam recte tenentur, & glorificantur, atque prædicantur; denegantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium Dei, Deum & Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, & ex sancta atque gloriosissima semper Virgine Dei genitrice Maria hominem factum, atque Crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandum Patri & Spiritui sancto, consubstantialem Patri secundū diuinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem passibilem carne, eundemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes enim Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, & Dominum nostrum fateri unum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam. secundum gratiam dicentis unum filium Dei, & alium dicentis Dei uerbum, & alium Christum. Omnes uero sacerdotes sanctæ catholice atque Apostolicæ Ecclesiæ, & reuerendissimi Archimandritæ sanctorum monasteriorum, sequentes sanctitatem uestram & custodientes statum & unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab Apostolica uestræ sanctitatis Sede, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit, atque obtinet, uno consensu confitentur, & glorificant, prædicantes Dominum nostrum Iesum Christum vnigenitum filium, & uerbum Dei, & Dominum nostrum ante sæcula, & sine tempore de Patre natum in vltimis diebus descendisse de cælis, & incarnatum de Spiritu sancto, & ex sancta atque gloriosa uirgine & Dei genitrice Maria natum, & hominem factum, & crucifixum, vnum esse sanctæ & consubstantialis Trinitatis, & coadorandum & conglorificandū

D

E

C Patri